

4 Tum quia esto quod etiam cælum ab intrinseco incorruptibile sit, non debet tamen excludi a ratione obiecti physici, nam contrariorum eadem est disciplina; vndè ad summum in eiusdem Cifalpini doctrina sequitur, quod nõ sit attributionis obiectum, quod ego libenter concedo. Concludo ergo corpus caducum, prout excludit cælum, non esse huius scientiæ philosophiæ obiectum, atque adeo hanc suam opinionem esse reiiciendam.

S V B S E C T I O II.

De corpore misto, opinio discutitur, sicut opinio corporis naturalis prout comprehendit tum substantiale, tum accidentale, & utraque reiicitur.

5 **N**on longè ab antecedenti sententia iam refutata est Marcus Antonius Gerda in physica apud Picholomineum, dum asserit corpus mistum esse physiologiæ obiectum, cum exclusione cœli, ac elementorum, eo quia ista sunt simplicia corpora.

6 Fundat suam rationem in hoc videlicet, quod id, quod ordinatur ad aliud in aliqua scientia non potest esse obiectum illius; sed corpora simplicia in physica ordinantur ad corpus mistum; ergo physicæ nullo modo obiectum esse possunt. Sed friuola ratio est, ad summum ex sua ratione sequitur prædicta non esse obiectum attributionis, non verò obiectum simpliciter sumptum, & partiale; quia in eius sententia, materia, forma, & priuatio, vt prima principia physica ordinantur ad totum compositum componendum, & nihilominus ab eodem Marco Antonio admittuntur in latitudine physiologiæ obiecti; & postea in logica nonne ordinatur ad syllogismum definitio, & propositio, & tamen ista inter obiecta partialia per inclusionem sui, & non exclusionem alterius locum habent? quare si nullum aliud fundamentum iste Doctor habet, à vetustate recedat, & aliud obiectum physicæ inueniat.

7 Circa secundam opinionem in titulo assignatam, videlicet de corpore naturali, prout substantiale, & accidentale comprehendit; ego nescio in quo iste scriptor fundet suam opinionem; nam & si quoad primam partem, aliquo modo, & se-